

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 5. 4) Monita generalia circa cambii notionem.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## §. 5.

4) *Monita generalia circa cambii notionem.*

Sunt plures, qui negotii cambialis praecipuam vim in carceris s. arresti personalis effectu, obligationem non impletam insequente, ponunt; sed perperam. Parum tantum momenti inde pendet, utrum in personam, an saltem in bona iudex sententiam latam exequatur; in quo etiam leges communes et particulares non conveniunt. Summa potius omnis instituti eo redit, ut cujuslibet obligationis cambialis implendae defectus paratissimam, ut dicunt, executionem secum ferat. Haec est propria et vera processus cambialis indoles, et ad eundem promptum paratumque habendum quilibet dirigendus est actus circa cambium obveniens. Istam vero paratissimam executionem ut decernere possit magistratus, quem hac de re adiit creditor cambialis; omnia ad dijudicandum casum obvium penitus et maxime perspicue cognita habeat necesse est. Omnis, quae hic ullam vim habere possit, absit obscuritas. Nullam oportet existere quaestionem sive juris sive facti, quae iudicem ad ambigendum et dubitandum ducat. Omnibus, quae quidem tenor juris in genere postulat, certitudinis requisitis satisfieri debet. Hinc est, quod uberrimus formularum, modorum, adjectionum, cautelarum, agendorum emanet fons, quae quidem omnia in singulis negotii cambialis stadiis necessario sunt observanda.

## §. 6.

5) *Confectaria.*

Prae ceteris igitur hoc est omnibus, qui cambiorum negotio sese immiscent, attendendum, ut cujuslibet facti, a quo unquam pendere possit jus quoddam, probatio ad  
ma-

